



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum Sacramenta aliquando conferant primam gratiam
iustificationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

gratiam conferunt, non ratione operis interni, vt fidei, vel deuotionis ministris, aut suscipientis, sed ratione operis externi: actus enim internus respectu operis externi est veluti opus operas, actus externus est opus operatum, quia procedit ab interno. Significantur itaque, hoc modo loquendi, Sacramenta conferre gratiam, non ex deuotione, fide, aut merito aliquo suscipientis vel ministri, sicut oratio, elcemosyna, ieiuniu, quae solum ex deuotione suscipientium sanctificant: sed ex ipso opere externo diuinitus instituto ad sanctificandum: quod D. Augustinus significat, cum ait; *Parvulum vi Sacramenti sanctificari*: lib. 1. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 18. Item cum ait; *Sacramentum ipsum per seipsum in parvulis valere plurimum*: lib. 4. de Baptismo cap. 24. Vnde etiam si haec locutio *Ex opere operato* dumtaxat à quadringentesimo annis usurpata fuerit, tamen Patres idem alijs verbis significarunt.

Aduerte tamen, non excludi fidem, deuotionem, penitentiam, similesque bonos motus in adultis; quia sunt dispositiones subiecti necessariae vt Sacramentum vim suam exercent. Sicut enim in rebus naturalibus, vt forma introducatur à generante, requiruntur certae dispositiones in subiecto; ita quoque vt Sacramenta producant in nobis illam diuinam formam, qua efficiuntur iusti & similes Deo, requiritur in adultis quaedam dispositio.

His positis. Probatur Propositio Primò, Quia haec veritas definita est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nouae Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantum sint externa accepta per fidem gratiae aut iustitiae, Anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit ipsa nouae Legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, sed solum fidem diuinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.* Idem tanquam dogma Ecclesiae traditur à Concilio Florentino: *Nouae legis, inquit, sunt septem Sacramenta, quae multum differunt à Sacramentis antiquae Legis: haec enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: nostra, & continent gratiam, & eam digne suscipientibus conferunt.* Eadem veritas constat ex Concil. Constantinopolitano primo, in cuius Symbolo habetur *Credimus vnum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Probatur Secundo ex Scripturis de singulis Sacramentis. De Baptismo, Ioannis 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei: vbi regeneratio tribuitur Baptismo & Spiritui sancto, quia Spiritus sanctus in Baptismo regenerat.* Respondet Calvinus a quam accipi pro Spiritu sancto, hoc sensu, *Ex aqua, id est, Ex Spiritu sancto, qui Spiritus sanctus dicitur Aqua; quia irrigando fideles animas, vice aquae fungitur; sicut inquit, Matth. 3. v. 11. dicitur de Christo, Ille est qui baptizat in Spiritu s. & igne, vbi Ignis est ipsemet Spiritus sanctus.* Sed fallitur Calvinus, nam omnium consensu Ignis hic proprie accipitur: loquitur enim Ioannes de aduentu Spiritus sancti; qui in igne descendit super Apostolos. Deinde est contra omnes Patres, qui ex illo loco Ioannis 3. necessitatem baptismi colligunt. Tertio, Quia ineptissima esset ista locutio: quis enim sapiens ita loqueretur, *Baptizabit vos aqua & Spiritu sancto, id est, aqua, qua est Spiritus*

sanctus. Item *Baptizabit Spiritu sancto & igne, id est, Spiritu sancto, qui est ignis.* Vnde manifestum est Dominum loqui de vera aqua, eamque facere causam regenerationis. Quod confirmatur ad Titum 3. vers. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: vbi Apostolus videtur alludere ad illa Christi verba, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Similiter ad Ephesios 5. vers. 26. *Mundans eam, nempe Ecclesiam, lauacro aquae in verbo vitae.* vbi per lauacrum nos mundari à Deo aperte dicitur. Actorum 2. vers. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* 1. Petri 3. vers. 21. *Quod & vos nunc similis formae saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, id est, non quia sordes carnis abluunt, sed bona conscientiae interrogatio in Deum, id est, quia bonam Conscientiam erga Deum gignit, per quam cum fiducia tractamus cum Deo.*

Secundo, De Confirmatione. Actorum 8. & 19. Per manuum impositionem datur Spiritus sanctus.

Tertio, De Eucharistia. Ioannis 6. vers. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, id est, Ius ad vitam aeternam.*

Quarto, De Penitentia. Ioannis 20. vers. 23. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.*

Quinto, De extrema Vnctione. Iacobi 5. v. 16. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Sexto, De Ordine. 2. ad Timot. 1. vers. 6. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum.*

De Matrimonio suo loco probabimus. Omitto Patrum sententias quas Haeretici non negant, sed dicunt eos hyperbolicè loqui.

Probatur Tertio Ratione: Sacramenta vetera praeter significationem operabantur iustificationem carnis, vt patet ad Hebr. 9: ergo nostra operantur iustificationem animae; quia ita se habent nostra ad conscientiam, sicut illa ad carnem. Vide Chrysol. homil. ad baptizandos tomo 5. Secundo, Quia per nostra Sacramenta dicitur *Induere Christum, commori Christo, accipere remissionem peccatorum, regenerari, renasci, saluari, accipere vitam aeternam,* vt patet ex varijs Scripturae locis; quae tamen nunquam tribuuntur Sacramentis veteribus: ergo non sunt nuda signa, sed efficiunt quod significant; alioqui dici posset etiam Iudaeos per suas caeremonias fuisse iustificatos; quod est aperte contra Apostolum ad Hebraeos 9. Tertio, Quia parvuli per totam Ecclesiam baptizantur, & in illis baptismus ipse *Per se valet plurimum,* vt inquit August. lib. 4. de Baptismo cap. 24. & tamen non habent fidem parvuli: ergo Baptismus non habet suam efficaciam per fidem. Quod autem Lutherani dicunt in parvulis accelerari usum rationis, nimis ridiculum est.

D V B I V M I.

Utrum Sacramenta aliquando conferant primam gratiam iustificationis?

Quidam Doctores negant in adultis Sacramenta posse conferre primam gratiam; quia existimant in eis semper requiri veram contritionem, nempe quae procedit ex dilectione Dei super omnia, qua posita statim datur gratia iustificationis, etiam si ipsa absit Sacramentum.

B b b

Sed

Non excluditur fides &c. in suscipiente Sacramenta.

3. Probatur ex Concilijs.

2. Ex Scripturis, de singulis Sacramentis.

Soluitur obiectio Caluini de Baptismo.

4. Ratione.

5. Sententia negans.

Reijcitur.

Sed Dico Primò, Hæc sententia non est probabilis. Probat; Quia Baptismus, & Pœnitentia sunt instituta ad tollendum peccatum mortiferum, & quasi ad viuificandû mortuum: ergo aliquando debent tollere peccatû mortiferum, & consequenter conferre primam iustificationem; alioquin nunquam haberent effectum primarium, ad quem sunt instituta. Dices, Conferunt remissione peccati in voto, cum quis iustificatur per contritionem antecedentem. Contrà; hoc non sufficit, quia dum quis iustificatur per contritionem cum voto Sacramenti, ipsum Sacramentum nihil confert ex opere operato, sed sola contritio iuxta suam mensuram; ac proinde Sacramentum ex opere operato nunquam conferret primarium suum effectum, sed semper cum supponet. Hinc etiam fiet, ut remissio peccatorum non sit facta facilior per Sacramenta, quàm erat olim in lege veteri: quod est aperte contra Scripturas.

Dico Secundò, Etsi non omnia Sacramenta sint instituta, ut conferant primam iustificationem; tamen omnia in euentu possunt eam conferre. Prior pars patet de Confirmatione, Eucharistia, Ordine, Matrimonio: hæc enim postulant, ut suscipiens non sit in peccato mortifero, vel saltem ut bona fide se putet non esse; unde dicuntur Sacramenta viuentium. Altera pars est D. Thomæ passim, & communior sententia Doctorum. Ratio est, Quia omnia Sacramenta vi sua conferunt aliquem gradû gratiæ: ergo si subiectû habeat eam dispositionem, per quam infusionis gratiæ est capax, & aliunde non obijciat actuale impedimentum, semper illum conferent. Atqui homo per attritionem est capax infusionis gratiæ, ut patet in Baptismo; & cum bona fide putet se habere veram contritionem, non ponit actuale impedimentum: ergo omne Sacramentum tunc confert primam gratiâ iustificationis. Confirmatur Primò, Quia non requiritur maior efficacia ad infusionem primæ gratiæ iustificantis, quàm ad augmentum: ergo quod per se confert augmentum, etiam poterit conferre primam gratiam, si ex parte subiecti non sit repugnantia. Confirmatur Secundò, Quia sicut Sacramenta instituta ad primam gratiam cõferendam, tribuunt augmentum, si primam inueniant collatam; ut patet cum quis accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum vera contritione: ita Sacramenta instituta primariò ad augmentum, conferent primam gratiam, si eam non inueniant. Dicuntur autem tunc *Per accidens conferre primam gratiam*, quia primariò instituta sunt ad augmentum, ita ut ad hoc solùm ex intentione possint adhiberi. Voluit tamen Dominus, ut si adhiberentur bona fide ad augmentum in subiecto vacuo, habere tamen dispositionem non repugnantem, tunc etiam primam conferrent præter primariam & directam intentionem suscipientis.

6
Omnia Sacramenta possunt conferre primam gratiam iustificationis.

7
Quæ dicuntur per accidens eam conferre.

DVBIVM II.

Quando Sacramenta conferant gratiam?

7
Suppono; Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato ante realem susceptionem; alioqui conferrent etiam characterem, & cum attritione sola iustificaret. Ratio est, Quia instituta sunt, ut suo usu externo sanctificent: hoc enim est *Ex opere operato sanctificare*. Et colligitur Ioannis 6.

v. 54. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* Quil sit, Baptismus vel Pœnitentiam in voto dare gratiam, Et Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Nec obstat, quod Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ dicuntur in voto conferre gratiam: sensus enim est, contritionem non conferre gratiam sine voto expresso vel implicito Baptismi vel Pœnitentiæ: tota tamen gratia datur ratione dignitatis & perfectionis illius contritionis; non secus ac in lege veteri. Neque tunc Sacramentum aliquid confert, nisi quatenus obiectiue potest facere actum internum nobiliorem. Dicitur tamen in voto conferre gratiam, quia votum Sacramenti ex præcepto diuino positum an nexum est contritioni. Similiter non obstat, quod Doctores dicunt effectum Sacramenti interdum recipi per Sacramenti votum; quod etiam insinuat Concil. Trident. sess. 13. c. 3. solùm enim volunt talem gratiâ conferri, qualis Sacramento confer tur; quæ gratia dicitur effectus Sacramenti, non relatione effectûs, sed similitudine nature: sicut dicimus effectum ignis etiam produci à sole. Hoc posito: & omisissis varijs sententijs:

Dico, Sacramentum cõferre gratiam in primo instanti, quo vltima syllaba formulæ est prolata, dum illa adhuc sonat & sensibilis est. Ratio est, Quia tunc primùm significatio est perfecta, & ipsum Sacramentû essentialiter completum, etiam si illa syllaba solû per vnum instans sonaret. Quod autem detur tale instans; Probat; Quia sonus non est motus, sed qualitas quædam orta ex collisione duorum corporum; quæ collisio terminatur in instati, & in eodem instanti videtur esse sonus. Quod si dicas, Sonum non esse in eodem instanti, in quo terminatur collisio, eò quod motu aëris debeat diffundi; nihilominus fatendum est dari primùm instans, in quo sufficienter est diffusus, ut sit sensibilis; & in hoc gratia confertur. Nec obstat, quod iste sonus postea per aliquod tempus duret; quia id per accidens est Sacramento; sicut per accidens est quod aqua magnam vel paruum corporis partem tangat; datur enim aliquis minimus contactus necessarius ad rationem Sacramenti. Aduerte tamen, Si ablutio, vel vnctio sequatur vltimam syllabam formæ, qua significatio completur, gratiam conferri in instanti contactus sufficientis materiæ. Ratio est, Quia tunc primùm Sacramentum completur: vnuerfaliter enim verum est gratiam conferri in primo instanti completionis Sacramenti.

8
Gratia confertur in primo instanti completionis Sacramenti.

ARTICVLVS II.

Utrum Gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum?

9
Respondetur, Addere quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem. Notandum est; Quosdam existimare, Sacramenta conferre nouos quosdam habitus distinctos à virtutibus & donis Spiritus sancti, per quos instarentur in nobis varij defectus peccatorum. Sed est contra communem sententiam Doctorum. Vnde

Dico Primò, Per Sacramenta non producuntur in nobis aliqui habitus gratiarum distincti à gratia habituali & virtutibus seu donis: excipio tamen